



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

VI. An auxilium aliquod verè sufficiens, sit ex se mefficax, vel vnde id
habeat, quando tale esse contingit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

lio diuino ad operandum, tum ex parte intellectus, seu obiecti, vt excitetur mens ad bene vtendum infuso habitu: tum ex parte principij, seu ipsius habitus & potentie quæ operari non potest sine actuali concursu Dei eiusdem ordinis cum operatione, vt ex libro superiori constat. Igitur solus habitus præcisè sumptus non potest dici auxilium absolutè sufficiens, & quasi collectiue, vt declarauit. Poterit tamen dici vnum ex requisitis ad auxilium sufficiens integrum & totale (vt sic dicam,) respectu talis modi operandi vtique connaturaliter, vt satis declaratum est.

Est tamen vnum ex requisitis ad auxilium sufficiens totale.

Sine habitu actus supernaturales possunt fieri per auxilia Dei actualia præternaturaliter.

Probatur assertio.

Deinde dicendum est, vt actus supernaturales absolutè fieri possint, saltem præternaturaliter in sensu declarato, habitus non computari in auxilio sufficienti, sed absque illis per auxilia actualia dari posse, & frequentissimè dari. Hæc etiam assertio perspicua est: nam ad hunc modum efficiendi hos actus non est necessarius habitus, qui sit principium illorum, vt declaratum, & probatum est: ergo sine habitu potest dari potentia adiutorium sufficiens ad tales actus eliciendos, quia ad auxilium sufficiens solum requiruntur ea quæ ad efficiendum actum simpliciter necessaria sunt.

Item sine habitu datur auxilium efficax ad efficiendos actus supernaturales dicto modo, quia nullus actus supernaturalis haberi potest sine auxilio efficaci, vt libro sequenti dicemus, & sæpe tales actus fiunt, & non ex habitu: ergo datur tunc ad illos auxilium efficax, ergo & sufficiens, prout in efficaci includitur: ergo etiam poterit dari solum auxilium, sufficiens quod non consequatur effectum, quia est contingens ex libertate arbitrij, vt auxilio sufficienti resistat. Hinc rectè concluditur auxilium sufficiens quod datur ad supernaturales actus hoc modo efficiendos in solis auxiliis actualibus consistere, nec contra hoc procedit ratio dubitandi in principio posita, quia licet habitus det posse, non est tamen necessarius simpliciter ad illud posse, sed solum ad posse tali modo, scilicet connaturaliter, absolutè verò illud posse per alia auxilia à Deo suppletur, & ideo ad alium modum agendi potest esse auxilium sufficiens sine habitu.

Respondet ad rationem dubitandi.

Ex argumentis verò superiori loco positis, primum probat hanc posteriorem assertionem: tertium verò probat secundam partem superioris assertionis, vt faciliè consideranti patebit. Secundum autem facit vim tantum in voce auxilij, quæ videtur motionem actualem significare. Veruntamen, vt supra dixi, etiam potest sumi pro quocunque Dei adiutorio, siue detur per motionem, siue per habitum, siue quocunque alio modo, & hoc modo dicimus habitum interdum includi in auxilio, vel, vt tollatur vocis ambiguitas, in adiutorio, vel gratia sufficienti ad certum modum operandi; quia verò in præsentibus præcipue agimus de actuali gratia, ideo in sequentibus rigorosè loquimur de auxilio sufficienti ad operandum, secluso habitu, de cuius efficientia in lib. 4. satis dictum est. Quomodo autem efficientia eius suppleatur quando potentia sine illo operatur, in lib. 4. explicatum est, nunc ergo de auxiliis actualibus agemus.

Vox, auxilij sumitur pro quocunque Dei adiutorio, seu gratia sufficiente.

Denique hinc facile satisfit primo argumento in præcedenti capite posito, in quo probatur, quodnam sit diuissum superioris diuisionis, in quo in primis interrogari potest, an sit auxilium externum, vel internum, in quo dicendum est diuisionem maximè dari de auxiliis internis, quia tam ad sufficientiam, quam efficaciam gratiæ in primis necessaria sunt, & ad vtrumque possunt interdum satis esse, quæ omnia ex dictis satis probata sunt; quia verò secundum ordinariam præviden-

Diuisio gratiæ in sufficientem & efficacem comprehendit auxilia

riam, etiam externa auxilia desiderantur ideo diuisionem ita intelligendo dicendum est in diuisio vtraque auxilia externa quasi collectiue comprehendendi.

Deinde potest inquiri, an in diuisione illa actuale, vel habituale auxilium diuidatur: dicendum est autem si intelligatur diuisio de auxiliis sufficientibus, vel necessariis ad quemcumque modum operandi, sic nec solum actuale adiutorium, nec tantum habituale ibi diuidi, sed ab vtroque abstrahere, & vtrumque includi posse. Nam si membra sumantur collectiue, vt re vera sumi debent, etiam diuissum debet esse quid collectiue, vt sit membris proportionatum: ideoque in illo quatenus colligit multa, includuntur actualis & habitualis gratia: abstrahit tamen a collectione includente vtramque, vel alteram tantum, quia interdum poterit auxilium sufficiens, imò etiam efficax vtramque gratiam actualem & habituale innoluere, interdum in solis actualibus auxiliis consistere potest, quamuis nunquam possit per solos habitus compleri, vt in secundo argumento in secundo membro eius satis probatur. Quod verò in primo membro dicitur, auxilia actualia sola non posse sufficere, ad operandum simpliciter, falsum est, nec inde fit habitus esse superfluos, quia ad modum connaturaliter agendi necessarii sunt, & hoc est satis. Quod denique in tertio membro obicitur de paruulis baptizatis, non est ad rem, quia licet illi habeant gratiam sufficientem, imò & efficacem (si ita licet loqui), ad salutem consequendam, si in ea ætate moriantur, non tamen habent auxilium sufficiens ad operandum, quia pro tunc non sunt capaces operationis, hic autem de auxiliis ad operandum loquimur, vt dixi.

Tandem inquiri potest, an diuidatur ibi auxilium excilians, vel adiuuans, de quo in sequenti capite dicemus.

CAPVT VI.

An auxilium aliquod verè sufficiens sit ex se inefficax, vel vnde id habeat, quando tale esse contingit.

Quoniam dictum est, auxilium sufficiens, vt distinguatur ab efficaci, quasi priuatiue illi opponi, ideoque in re ipsa inefficax inueniri, ideo explicandum est, vnde habeat hanc inefficaciam, & inde etiam constabit, quid illa sit? solum autem potest hæc inefficacia provenire vel ex natura auxilij, ac proinde ex parte Dei, vel parte hominis, & liberi arbitrij eius: inter hæc igitur tantum quæstio versatur. Oportet autem supponere sermonem esse de auxilio proximè sufficienti, id est, quod ad potestatem agendi proximè sufficit, modo superius explicato. Nam si tantum remotè auxilium dicatur sufficiens, tunc adhuc expectatur aliud maius auxilium præueniens, vt fiat proximè sufficiens, & quamdiu hoc non obtinetur, prius erit inefficax ex defectu vterioris auxilij, poteritque illa inefficacia homini imputari, quia per prius auxilium non fecit id quod proximè

proximè poterat ut maius auxilium obtineret. Et ita in auxilio remotè sufficienti facile explicatur inefficacia consistens in defectu auxilij completi, ut sit proximè sufficiens. Et similiter facile intelligitur, quomodo non in Deum, sed in hominem refundatur. Hic autem agimus de auxilio, quod per se est proximè sufficiens in ratione excitantis & adiuuantis in actu primò, & nihilominus illum effectum non consequitur, propter quem proximè datur.

Propter sententiam sententiam ergo aliqui, quantumvis auxilium sit proximè sufficiens, nihilominus præcisè spectatum esse de se inefficax, nisi illi addatur aliud, à quo efficaciam accipiat, ideòque ex intrinseca limitatione eius provenire, ut effectum, propter quem datur, non faciat, quia nimirum deest illi maius auxilium præveniens, sine quo nunquam ex solo auxilio sufficienti præcisè spectato sequitur opus. Unde si talis inefficacia in Deum ipsum refundatur, saltem negatiuè, seu indirectè quatenus Deus ex se non vult illud peculiare auxilium præstare, sine quo auxilium sufficiens effectum consequi repugnat. Atque ita hæc inefficacia partim est ex natura auxilij sufficientis, quatenus ex se illam habet, nec dat facere, sed tantum posse; partim ex Deo, quia suo arbitrio vult tantum dare auxilium sufficiens, & non efficac.

Fundamentum huius sententiæ sumitur à contrario, quia auxilium efficax de se & natura sua est efficax, & est necessarium ad operandum, ergo auxilium sufficiens de se est inefficax, ut illum assequatur effectum. Probatur consequentia, quia auxilium sufficiens hic sumitur ut præcisum & separatim in re ipsa ab efficaci, ergo sic solitariè sumptum de se est inefficax, quia deest illi auxilium necessarium ad efficaciam, & confirmatur primò, quia si affirmatio est causa adæquata affirmationis, negatio est causa negationis, sed auxilium de se efficax est vltima ratio adæquata actualis efficientiæ voluntatis, & auxilij sufficientis, ergo carentia eius est adæquata ratio, ob quam auxilium sufficiens manet inefficax; auxilium enim sufficiens integrè substituit sine efficaci, & ex natura sua illud secum non affert, neque præbet viam, aut vires ad obtinendum illud, quia iam non esset auxilium proximè sufficiens, sed remotè ut expliciaui; ergo de se est inefficax, quia nisi aliunde accipiat efficaciam, nunquam illam habebit: & hoc est esse de se inefficax. Confirmatur secundò à signo, nam auxilium sufficiens tantum nunquam omnino habet effectum, & hoc est aded infallibile, ut nunquam deficiat; ergo signum est tale auxilium de se habere hanc efficaciam, nam causa quæ nunquam infallibiliter consequitur effectum, merito censetur ad talem effectum ab intrinseco insufficienti.

Hæc sententia videtur posse tribui auctoribus opinantibus auxilium efficax esse etiam præueniunt, seu præueniens, eisque de se efficaciæ ac physice prædeterminans voluntatē ac necessarium ad operandum. Nam ex hoc principio sequitur altera assertio de auxilio sufficiente, ut explicatum est. Nihilominus tamen multi ex his auctoribus, licet concedant auxilium sufficiens de se non esse efficac, nihilominus non audent dicere primam rationem, ob quam tale auxilium in re manet tantum sufficiens, & inefficax, esse solam Dei voluntatem, sed homini esse tribuendum, quod difficultè cum priori fundamento concluditur, ut hic, & latius in sequenti libro videbimus.

Alij verò non dubitant in Dei voluntatem & providentiam tanquam in primam radicem re-

uocare, quod auxilium sufficiens ita detur, ut inefficax maneat in his, in quibus non operatur, quia auxilium de se efficax est necessarium ad opus, & Deus sua voluntate dat illud cui vult, & negat illud cui vult, iuxta illud: *non est volentis, nec currentis, sed Dei misericordie*; cum enim Deus sit supremus Dominus suorum auxiliorum, potest illa distribuere sicut vult, & nemini facit iniuriam, & videntur hi Doctores quoad hanc partem consequenter loqui, quia auxilium de se efficax est præuium & necessarium: non potest autem homini illo carenti imputari, quod ei non fuerit datum, quia sine illo nihil facere potuit, quo illud obtineret, ut infra præstius vrbemus. Adde verò, licet auxilium efficax non sit de se tale, sed in vocatione congruè consistat, nihilominus posse videri soli Deo attribuiendum esse, quod homo non recipiat vocationem congruam, ac subinde quod eius vocatio sit tantum sufficiens, & non efficac. Probat, quia cui Deus præbet primam vocationem congruam, sua sola voluntate donat, quia non potest homo illam mereri, ut infra ostendemus, ergo cui non donat illam, etiam sua voluntate non donat. ergo hoc modo Deus est causa inefficacis auxilij. Prima consequentia probatur, tum rationibus factis, quod si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, tum quia cum vocatio antecedit libertatem hominis, non potest homo esse in causa, quod talis, vel talis sit. Tum denique, quia illa distributio vocationum provenit ex sola dispositione diuinæ providentiæ. nam Deus quosdam sola sua libertate prælegit efficaciter ad gloriam, vel ad fidem, vel ad penitentiam; alios non elegit, & ideo prioribus autem dat vocationem quæ habeat effectum in eis: posterioribus autem dat vocationem quæ nunquam habeat effectum, ergo tam efficacia vocationis, quam inefficacia in Deum tanquam in primam radicem & causam refundi debet.

Potest in huius sententiæ confirmationem adduci Augustinus dicta q. 2. ad Simplian circa medium, ubi expendens Christi verba, *Multi sunt ex S. Aug. vocati, pauci verò electi*, &c. ait, *Ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia omnes non uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, quia ei capiende reperiuntur idonei. Et illud non minus verum sit, non est volentis, nec currentis, sed misericordie est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo erat aptum eis qui sequuntur vocationem.* Et statim adiungit, (quod ad præsentem rem spectat,) idem ferè de non electis dicens, *Ad alios autem vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, quæ moveri non possent, ut eam capere apti essent, vocati quidem dicere potuerunt, sed non electi, & non iam similiter verum est, igitur non misericordie Dei, sed volentis atque currentis est hominis, quia non potest effectus misericordie Dei esse in potestate hominis ut frustra ille miseratur si homo nolit. Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, & ut moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* In quo discursu vtrumque refert in diuinam voluntatem, nimirum, vel efficaciter, vel ineffaciter vocare, & hunc discursum ferè vsque ad finem quæstionis prosequitur.

Est præterea de eadem re difficillimus locus apud Augustinum lib. de prædest. sanct. cap. vbi de auxilio efficaci dicit esse gratiam secretam. *Quæ oculis humanis cordibus diuina largitate tribuitur, & à nullo duro corde respuitur, ideo enim tribuitur ut cordis duritia penitus auferatur.* & statim subiungit, *Deum ita docere filios promissionis, id est electos, quos preparauit ad gloriam; alios verò non ita docere, Cur (inquit) non omnes docet, & veniunt ad Christum, nisi quia omnes, quos docet misericordia docet, quos autem non docet, iudicio non docet, quoniam*

Quomodo Deus dicitur ab illis inefficacia, si erget congruam vocationem.

4. Probat, variis locis.

quoniam cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Ergo ex Dei ordinatione provenit gratiae inefficacia in his, qui per illam non moventur; imò (quod difficilius est) indicat inferius aliquos tantum exterius vocari, & ideo inefficaciter vocari, quia Deus internam gratiam non praebet. Cum igitur (ait) Evangelium predicatur, quidam credunt; quidam non credunt, Praedicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt, atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, nec discunt. Ergo hinc habet vocatio quod sit inefficax; ergo id habet ex Deo negante internum auxilium.

Tertio est similis locus apud eundem Augustinum lib. de bonor. persever. cap. 14. vbi de Tyrus & Sidonis, Relicti sunt (utque in massa perditionis) qui etiam credere potuissent; si mira illa Christi signa viderent; sed quoniam ut crederent, non erat eis datum; etiam vnde crederent erat negatum. Vbi a. et d. sentit, sicut Deus ex libera suae providentiae dispositione quoscunque elegit in sua voluntate quibusdam dare gratiam efficacem, aliis eam negare, de quibus ait, Si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratiae praedestinatione discreti; nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina, vel facta; per quae possent credere, si audirent utrique talia, & viderent, ergo ex eadem Dei voluntate provenit, ut in aliis non electis vocatio sit tantum sufficiens, & non efficax.

Inefficacia gratiae sufficientis non pendet à Deo, sed à voluntate humana, ut à prima radice.

Probatur ex 3. Scriptura. Nihilominus dicendum est primò inefficaciam sufficientis auxilij nullo modo posse in Deum recendi, nec illi ut causae, nedum ut primae radici attribui: sed prima & unica ratio huius inefficaciae est voluntas humana. Probatur ex Scriptura, in qua haec efficacia non Deo, sed homini tribuitur, Actor. 7. Dura cervice, incircuncisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis: atque interius vocanti, & sufficienter inspiranti, & adiuvanti, quantum est essentia ex se, ut rectè Catholici Scriptores contra Calvini

Inefficacia gratiae sufficientis oriatur ex resistantia voluntatis non modo potest Spiritui sancto attribui, sed est potestati illi contraria.

Et eodem modo probant veritatem hanc alia testimonia huiusmodi, ut est illud Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, & nolueris; & illud Isai. 5. Quid amplius facere debui vineae meae, & non feci. Nam profectò si Deus ipse author esset inefficaciae auxilij, non solum facere omisisset aliquid debitum, sed etiam faceret aliquid indebitum, nam fuisset causa, ob quam vinea fructum non dedisset; nulla enim maior causa sterilitatis eius esse potest, quam inefficacia auxilij. idem probant verba illa Osee 13. Perditio tua Israel ex te, tantummodo in me auxilium tuum. Nam perditio hominis in eo maxime posita est, quod gratiam Dei euacuat, & spiritum extinguat, eius auxilio non vrendo, quod est illud inefficax reddere; ergo haec inefficacia hominis ab ipso est, non à Deo, à quo solum auxilium provenit, inefficacia autem non est auxilium, sed potius dici potest defectus auxilij, si à Deo proveniret. Denique hoc confirmant illa testimonia, in quibus dicitur Deus hominum salutem velle, 1. Timoth. 2.

Et illa in quibus dicit Deus, se nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, Ezai. 48. & 33. Nam cum inefficacia auxilij neque digna potentia, neque vita, aut salus animae subsistere potest; si ergo Deus procuraret homini auxiliorum sufficientium inefficaciam, proculdubio hominis salutem velle, aut desiderare fingeret.

Secundò probatur eadem veritas ex Augustino, nam in dicta q. 2. ad Simplician. ita de Esau loquitur. Noluit Esau, & non cucurrit, sed essi voluisset, & Prohem cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset, qui ei etiam velle & cucurrere praestando vocaret, nisi vocatione contempta reprobatus fuisset. vbi in solam Esau voluntatem causam reuocat, ob quam vocatio illa non operata est velle & currere, quod est vocationem esse efficacem, quia nimirum illam contempsit, & eodem modo in lib. 93. q. 68. dicit de Pharaone fuisse vocatum utique sufficienter, & quia vocationi obtemperavit, penam obdurationis meruisse. Et de vocatis ad Coenam. Luc. 4. Non omnes qui vocati sunt venerunt, nec illi qui venerunt, venire possunt, nisi volunt. In eis ergo qui non venerunt, ex leuitate Augustini vocatio inefficax est, solum quia vocati venire noluerunt, vnde generaliter subiungit, Neque illi sibi debent tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, neque illi qui noluerunt venire, debent alicui tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venissent vocati, erat in libera eorum voluntate. Si ergo alteri non possunt tribuere, multo minus Deo. Tertio expressum & egregium Augustini testimonium lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. vbi prius quarit, Cum voluntate humana gratia adiuuante divina, sine peccato in hac vita homo esset possit, cur non sit? Et subiungit, Possem facilius me respondere, quia noluit. Postea vero querens causam cur noluit, duas reddit, ignorantiam nempe, & infirmitatem, & subiungit, Ut autem innuatur quid quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei voluntate est qua hominum adiuvat voluntatem, qua ut non adiuventur, in ipsis videm causa est, non in Deo. Quarto in lib. 2. de lib. arbitrii cap. 2. reprehendit eos, qui etiam de ipso Deo se excusare conantur. Et contra eos obicit illud Iacob. 1. Deus neminem tentat, & illud Prover. 19. Insipientia viri violat vias eius, Deum autem non causatur in corde suo. Si autem carentia efficacit auxilij in Deum, ut in primam causam refundi possit, profectò magna ratione possent homines excusari apud Deum de ipso Deo. Denique hoc optimè confirmat idem Augustinus epist. 15. dicens, Deum indurare aliquos non impediendo misericordiam, & adiungit, Quibus eam non impertitur, neque digni sunt, neque merentur, ac potius ut non impertatur, hoc deus iustitiae meretur. Consentit huic doctrinae & tantquam Augustinianam defendit Prosper ad obiectiones Vincenti cap. septimo ad obiectiones Gallor. ad 7.

Tertio potest eadem veritas rationibus confirmari, duas enim habet partes, vnam negatiuam, quod talis inefficacia non sit Deo tribuenda; alteram affirmatiuam, quod homini imputetur, & vna sequitur ex alia. Vnde prima ratio sit, quia reddere vacuam effectum Dei vocationem, in his quae sunt ad salutem necessaria; seu quando nos vocat ad implenda praeccepta, non sit sine peccato: aut lineauerit hominis à Deo, sed auferio hominis non potest Deo tanquam auctori tribui; ergo neque inefficacia sufficientis gratiae potest illi tribui. Consequentia euident est. Maior etiam nota est ex scripturis allegatis. Cum enim Stephanus Iudaeos reprehendebat, quod Spiritui sancto resistissent, grauiusimae culpae illos arguebat, & idem confirmat iustitiam diuinae sapientiae comminatio Prover. 1. Quis reprobos cauit & reuulsit, extendi manum meam, & non fuit qui acciperet, disprexit omne consilium meum, & interpretatus meum neglexit, ego vero in meritis reprobos idcirco

ideo etiam Christus Dominus Iudæis dixit Ioan. 15. Si non venissem, &c. nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Vtique infidelitatis, vt exponit Augustinus, & ratio est clara, quia auxilium sufficiens non fit inefficax, nisi non cooperando illi, sed qui non operatur: seu resistit, vel non respondet vocationi in materia necessaria & præcepta, eo ipso non implet præceptum; ergo illa resistentia non fit sine graui culpa, sicut ergo grauis culpa non potest Deo imputari, ita nec inefficacia auxilij. Vnde merito dixit Augustinus lib. 2. de peccat. merit.

cap. 5. Si a Deo auertimur, nostrum est, & tunc secundum auctoritatem, dum carnem sapimus, &c. Conuersos ergo Deus adiuuat, sicut Augustinus auersos deserit, & cap. 18. Quod a Deo nos auertimus, nostrum est, &c. Prosper ad cap. Gallor. in 7. cum dixisset multos prius a Deo apostatasse, & in sua auersione desinere, subiungit, sed horum lapsus Deo tribuere immodice prauitatis est.

Inefficacia etiam in materia consilij resistere distinxit inspirationi, & auxilio diuino sufficienti, illudque inefficax reddere, nunquam esse ex Deo, sed ex homine. Ratio est, quia licet illa resistentia liberi arbitrij, per quam tale auxilium redditur in efficaciam, interdum non sit peccatum, semper est defectus quidam, & imperfectio virtutis, ideoque non potest in Deum refundi. Item, quia quoties Deus præbet auxilium proximè sufficiens ad aliquod bonum propositum, vel actum ipsius hominis, procedit ex voluntate Dei saltem antecedente, quæ verè & non fictè cupit vt homo habeat talem actum; ergo non potest ipse Deus esse radix & causa resistentiæ hominis, quia hoc repugnat cum illa Dei voluntate si vera sit, & non ficta. Nam velle quantum ex se est vradus fiat, & alioqui impedire cooperationem hominis, vel ex propria voluntate esse causam eius, repugnantia sunt. Item quia si vocatio est verè sufficiens, confert homini, & in eius potestate & arbitrio constituit, quidquid necessarium est ad efficiendum actum, ad quem tale auxilium dicitur sufficiens; ergo fieri non potest vt per Deum ipsum iter, quominus talem actum efficiat, quia hoc appertè repugnat cum auxilij sufficientia ex parte Dei. Atque hæ rationes concludunt vniuersaliter, & in quacumque materia, non posse inefficaciam auxilij aliquis sufficientis ex parte Dei, ipsimet Deo tanquam primæ radici, aut veræ causæ attribui. Repugnat enim talis providentiæ modus, vel cum diuina voluntate, vel cum constantia, & immutabilitate voluntatis eius, ac subinde cum eius sapientia, & erga homines charitate.

Atque hinc concluditur altera pars, nimirum solum hominem & infirmam ac fragilem voluntatem eius esse propriam causam inefficaciæ sufficientis auxilij. Probatur primò, quia nulla causa creata, vt Dæmon, cælum, appetitus inferior, hominis suasio, vel alia similis, potest hominem cogere, seu necessitare ad non respondendum vocationi, quando illa sufficiens est, vt suppono; ergo ex sola intrinseca libertate hominis recipientis oritur ille defectus, quia Deus non vult illi inferre necessitatem, nec erat conueniens, quia destrueretur meritum, & humanus operandi modus, & alioqui voluntas ipsa creata dicens est; illi ergo debetribui defectus cooperandi gratiæ, non Deo. Item hoc euidentius probatur, quoties in hac resistentia, seu dissensu a vocatione peccatum interuenit, quia propria causa culpæ, hominis est arbitrij: ergo quoties inefficacia auxilij ex culpa hominis nascitur, illi tribuenda est, non alteri. Hoc item generaliter probatur ratio de sufficientia auxilij, nam si homini datur auxilium sufficiens ex parte Dei, quale a nobis explicatum est, per nullam causam extrinsecam potest efficaciter impediri, quia licet

fortè instet tentatio, si auxilium Dei in eo tempore & in ea oportunitate, in qua datur, est simpliciter sufficiens, consequenter de se potens est ad vincendam omnem tentationem: ergo quod homo succumbat, & inefficax reddat tale auxilium, illi soli tribuendum est.

Et hoc satis confirmant adducta testimonia, quibus addi potest egregium Augustini testimonium lib. 3. de lib. arb. cap. 16. dicentis, Ex eo quod non accepit, nullus est reus, ex eo verò quod non facit, quod debet, iustus reus est: debet autem si accepit & voluntatem liberam sufficientissimam facultatem. Vnde subinfert, Dum non facit quisquis, quod debet, nulla culpa est conditoris. duo enim requirit Augustinus, vt aliquid homini imputetur, scilicet voluntatem liberam, & auxilium sufficiens: hæc autem supponuntur in homine impediende auxilij sufficientis effectum; ergo illi soli imputatur. Eandem doctrinam latè tradit Aselm. lib. de Concord. cap. 3. aliquantulum ab initio, vbi in summa docet, illi soli posse lapsum attribui, cui & adiutorium non defuit, (vtique sufficiens,) sed illud recipere noluit. Denique Hug. Viñt. lib. de Sacram. p. 2. cap. 24. de Angelis qui steterunt & ceciderunt, ait: Qui conuertebantur, idcirco bene mouebantur, quia gratiam cooperantem habuerunt; sed qui eueriebantur, non ideo precipitabantur, quia gratiam cooperantem non habuerunt, sed idcirco a Deo deserebantur, quia auertebantur, & precipitabantur. In quo testimonio multa sunt notata digna, quæ pro dilucris disputationis de gratia efficaci multum deseruiunt.

Quod verò nunc ad rem ponderamus, solum est etiam in Angelis non referri inefficaciam in auctoritatem gratiæ, sed in liberum arbitrium. Et similia habet, licet obscurioribus verbis, in summa sentent. p. 2. cap. 2. quæ postea commodiori loco explicabimus. Tandem ex dictis concluditur auxilium sufficiens non esse de se inefficax, potestque in hunc modum declarari, & probari. Quia si gratia sufficiens est de se inefficax, vel intelligitur de inefficacia in actu primo, vel tantum in actu secundo (quæ distinctio in cap. 1. declarata est,) neutrum verò dici potest: ergo. Minor probatur quoad priorem partem de actu primo, quia inefficacia in actu primo idem est quod insufficientia; ergo si auxilium supponitur sufficiens, non potest esse de se inefficax in actu primo. Consequentia euidentis est. Antecedens autem patet ex declaratione suprâ data de auxilio efficaci in actu primo: nam oppositorum proportionem seruata, eadem est ratio: dicitur autem auxilium efficax in actu primo, quod de se potens est ad efficiendum actum, etiam si de facto effectum non sit. Hoc autem ipsum significatur nomine auxilij sufficientis, & ideo Patres sæpe illud efficax vocant, vtique in actu primo; ergo si auxilium est sufficiens, est etiam de se efficax in actu primo. Vnde argumentor secundò, quia cum tali auxilio inefficaci voluntas non solum non operabitur, sed etiam non potest operari; ergo si voluntati datur solum auxilium de se inefficax, non potest illi imputari, etiam si non operetur, cuius contrarium probatum est. Antecedens patet, quia sine actu primo de se efficaci, id est, habente vim actiuam necessariam, non potest potentia prodire in actum, maximè cum etiam supponatur potentia de se inefficax ad actum, nisi aliunde eius defectus suppleatur. Vnde sumitur tertia ratio, nam ideo voluntas ideo indiget auxilio superaddito, quia de se est inefficax, tas indiget in actu primo; ergo si auxilium quod additur, est gratia, quia etiam de se inefficax, indigebit alio auxilio complemente efficaciam in actu primo: ergo sine illo erit impotens prius auxilium, sicut est voluntas sine eodem auxilio. Tandem si auxilium sufficiens esset hoc modo inefficax, omnis defectus hominis in

Confirmatur ex 3. Augustin.

Ex S. Anselmo. & Hug. à S. Victor.

Etiam in Angelis gratiæ inefficacia pendet ab eorū libertate.

Gratia sufficiens non est de se inefficax.

operando attribuendus esset defectui gratia, & consequenter Deo, & (ut sic dicam,) imperfecta providentia eius quod quam sit falsum, & ostensum est, & prosequar.

Respondetur obiectis.

Dicit aliquis has rationes recte procedere de auxilio proxime & complete sufficienti, & de illo convincere esse efficacem de se in actu primo, nihilominus tamen posse dari auxilium absolute sufficienti, quod non est completum principium in actu primo, sed indiget aliquo alio complemento. Respondemus tale auxilium non esse proxime sufficiens respectu illius effectus, ad quem requiritur novum auxilium per modum principij, & actus primi, & ideo necessarium esse, ut detur aliquis prior actus ad quem tale auxilium sit complete sufficiens, vel certe nullo modo esse auxilium sufficiens, ex dictis superioribus constare potest, & in sequentibus iterum atque iterum occurrit necessitas illud inculcandi. Vel denique aliud novum auxilium non erit necessarium per modum principij, sed alio modo, nimirum per modum actionis, & ita non erit in se necessarium ad posse, sed ad agere. Oportebit igitur ut sit in potestate hominis habentis auxilium sufficiens, alioqui sufficientia destrueretur, ut cap. sup. probatum est, & nunc etiam in secundo membro supra posito patebit.

Probatum assertio de inefficacia in actu secundo.

Probatum ergo altera pars, nimirum auxilium sufficiens non posse esse de se inefficax in actu secundo, quia talis inefficacia in hoc solum consistit, quod auxilium non actu operetur: non potest autem hoc provenire per se ex ipso auxilio, quod probatur, quia sufficiens causa proxima, & applicata ad operandum cum omnibus requisitis ad agendum, & ablatis omnibus impedimentis, non potest cessare ab operatione actuali, nisi vel propter libertatem, vel quia Deus negat concursum in presenti autem auxilium sufficiens supponitur principium in suo genere sufficiens, & applicatum voluntati cum omnibus requisitis, nam, (ut dixi,) hæc omnia includit vocatio proxime sufficiens; ergo non potest cessare ab operatione ex defectu concursus divini, quia ille est unum ex necessariis ad agendum, & ideo dato principio proximo agendi, sufficienti in suo genere, concursus ex parte Dei requisitus, sic ut est debitus connaturali debito, ita etiam ex parte Dei offertur, & in manu hominis constituitur. Nam si in aliquo casu Deus miraculose negat concursum, ut in igne Babylónico, tunc carentia actionis Deo ipsi tribuitur, & non inefficacia virtutis proxima. Ergo in presenti, quod homo per auxilium sufficiens non operetur, non provenit ex divini concursus defectu, nec potest refundi in Deum. Superest ergo, ut defectus operationis in actu secundo, quando auxilium supponitur completum in actu primo, & sufficiens, provenire non possit nisi ex libertate integra & proxima causa actus. Sed hæc libertas non convenit auxilio de se, sed ratione subiecti, in quo est; ergo quod tale auxilium sit inefficax in actu secundo, non convenit illi de se, sed ex subiecto, id est, ex libera voluntate libertatis humanæ, cuiusque defectu. Sicut quod habitus charitatis actu non eliciat amorem, non provenit ab illo secundum se, quia potius ipse, quantum est de se, inclinat ad actualem amorem: provenit ergo ex libertate voluntatis, quando aliis supponitur cum aliis requisitis ad agendum, nam habitibus utimur cum volumus: ita ergo est in auxilio sufficienti, quod de se habet ut actus primus in ordine ad consensum.

10. Respondetur ad fundamentum.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ primò negari potest, dari auxilium de se efficacem distinctum ab actuali concursu concomitante, sed quia de hoc in libro sequenti dicturi sumus, ut ab illa

quæstione abstrahamus, respondemus quacunque ratione ponatur auxilium aliquod de se efficacem necessarium ad operandum, ut salvetur auxilium vere sufficiens, licet actu non operetur, necessarium esse, ut auxilium efficacem sit in potestate hominis habentis auxilium sufficiens, vel (quod perinde est,) necessarium est ut sit in potestate hominis operari actu cum suo auxilio sufficienti, ac proinde habere omnia necessaria ad efficaciam, seu efficientiam talis auxilij: quia si hoc totum non sit in potestate & libertate eius, impossibile est quod carentia operationis homini attribuitur, ratione cuius vult, vel non vult liberi, ut omnia dicta in hoc & in precedenti capite aperte convincunt. Unde ad argumentum, polito illo antecedenti de auxilio de se efficaci, neganda est consequentia de sufficienti per se inefficaci. Et ad probationem, quia auxilium sufficiens hic sumitur ut separatim ab efficaci, respondetur hanc separationem non esse ex natura auxilij sufficientis, sed ex libertate voluntatis, cui datur auxilium sufficiens, & ideo non sequitur quod auxilium sit de se inefficax, sed tantum, quod actu sit inefficax. An verò hæc responsio coheret cum auxilio per se efficaci ac prædeterminante, videant illius auxilij defensores, nam si non coheret, profectò negandum potius est tale auxilium per se efficacem, quam admittendum auxilium sufficiens de se inefficax.

Unde ad primam confirmationem respondemus, si tale fingatur auxilium efficacem necessarium ad operandum, quale ibi depingitur, sic planè destruitur verum auxilium sufficiens, & ideo negamus dari necessitatem auxilij efficacis, quod nullo modo libertate hominis, sed à Dei tantummodo arbitrio pendeat, etiam supposito sufficienti auxilio: quomodo autem hoc debeat intelligi & probari, in libro sequenti dicemus. Et ideo hic solum dicimus, dato illo quod auxilium sufficiens indigeat novo auxilio ex parte efficaci ad actu operandum illud præstare, nec posse deesse ex parte Dei (alias fingeret potius dare auxilium sufficiens, quam verè illud conferret,) & nihilominus tale auxilium efficacem posse separari à sufficienti, & actu non dari ex defectu hominis nolentis cooperari cum auxilio sufficienti sibi collato. Nec hinc sequitur auxilium illud non esse proxime sufficiens, quia etiam posito tali auxilio sufficienti, est in potestate voluntatis admittere, vel non admittere auxilium efficacem, quia liberum est illi operari, vel non operari cum auxilio sufficienti. Hæc autem potestas non est libera ad efficiendum aliquid, quod sit voluntatis dispositio ad recipiendum auxilium inefficax, & ideo est proxime sufficiens, & non remotè, seu mediante alio actu. Hinc tamen rectè concluditur, auxilium illud, quod ultra auxilium sufficiens requiritur ad efficaciam eius, non posse esse aliud præter concomitantem concursum Dei, qui non sit in nobis actu sine nobis, & semper sit in nobis sufficienter excitatis si velimus. Nam omne aliud auxilium præveniens, quod à solo Deo fieri debeat, non potest esse immediate in potestate nostra libera, sed ad summum mediante alio actu libero, & ideo si de tali auxilio efficaci procedit argumentum, negamus illud esse necessarium, imò nec possibile, ut latius libro sequenti dicemus.

Ad secundam confirmationem respondeo, aliud esse loqui de auxilio sufficienti sub hac voce concepto, ut existente in hominibus, qui illi resistunt, quod potest dici in sensu composito; aliud verò esse loqui de illo secundum se (ut ita dicam) in sensu diviso. Loquendo ergo de illo posteriori modo, nego auxilium sufficientem semper carere effectu, aut infallibiliter manere inefficax, quia (ut lib. sequenti ostendam) idem auxi-

incongru
peru. 110

Inefficacia
gratie suffi-
cientis, non
est ab ipso
defectu ip-
sius sed ab
causa ab-
soluta ab
hominis in-
ferentia

Cur Deus
non debuit
denegare
gratiam male
causam

auxilium sufficiens potest in vno habere effectum, & in alio priuari effectum, ex defectu liberi arbitrij. At verò loquendo priori modo in sensu composito, verum est auxilium sufficiens semper esse inefficax: sic autem negatur consequentia, scilicet de se esse inefficax, quia non habet ab intrinseco illum effectum, sed quatenus est in homine qui illi resistit, sub quo defectu sic consideratur. Vnde non est hoc infallibile in ipso auxilio secundum se spectato, sed est ex defectu subiecti, qui defectus iam supponitur quo ad nos quidem confusus in his, quæ frequenter contingunt, quo ad Deum verò distinctè, & clarè in præscientia eius, quæ prævidet non tantum virtutem causarum & auxiliorum, sed etiam determinaciones liberas eorum, siue absolutè futuras, siue sub quacunque conditione. Neque obstat, quòd tale auxilium sapissimè & in maiori hominum multitudine inueniatur inefficax, quia inde non sequitur id habere ex se, sed ex causa libera cui inest, & sufficit ad totum illum defectum, imò non potest aliunde prouenire, cum in ipso auxilio non sit libertas nisi ratione subiecti, & hæc sufficit, vt in malis Angelis satis ostensum est, qui gratiam sufficientissimam habuerunt.

Ad alteram partem, quæ ad Deum pertinet, concedimus quidem iuxta illam sententiam de auxilio prævio de se efficaci, vix posse euitari quin carentia gratiæ sufficientis auxilio ex sola Dei voluntate proueniat, quod nos inconueniens reputamus, & ideo sententiam illam non admittimus, hanc verò partem in sequenti libro disputandam referuamus. Negamus tamen similem esse rationem de vocatione congrua, quia licet vatio congrua sit necessaria ad efficaciam auxilij: illa tamen congruitas in re ipsa non est omnino antecedens, seu præueniens vsum libeatis, sed est consequens & ab arbitrio pendet. Et ideo quòd vatio non sit congrua in his, qui tantum auxilium sufficiens recipiunt, causa est in ipsis; possent enim facere vt vatio esset congrua, si vellet gratiæ cooperari, pro vt re vera possent; vnde attentè considerandum est, aliud esse, quòd in potestate hominis sit facere, vt Deus ipsi tribuat vocationem, quam prævidet futuram congruam: aliud esse, quòd in potestate hominis sit facere, vt vatio sufficiens, quæ illi datur, sit congrua. Nam secundum dicimus esse in potestate hominis, idque sufficit, ac necessarium est, vt auxilium sit verè sufficiens. Primum autem re vera non est in hominis potestate, sed in sola diuina dispositione ac libertate. Ad argumentum ergo concedimus vtramque partem antecedentis, nimirum, cui Deus donat primam vocationem congruam suam misericordia, & libera voluntate dare, & cui donat, quam prævidet futuram incongruam, eam pro suo arbitrio illam dare, & non meliorem; inde verò non sequitur Deum esse causam inefficacis vocationis, quia de se potius vellet tamen vocationem esse congruam, prævidet tamen non esse talem futuram ex libertate hominis, & permittit: non est tamen Deus causa defectuum, quos permittit; vnde tota illa argumentatio procedit ex æquiuocatione illa, quod non distinguit inter liberam distributionem vocationis, quam fatemur esse ex Deo, & causam vnde vatio habet quòd sit incongrua, quæ non est ex Deo.

Est autem animaduertendum Deum cum ex æternitate voluit quibusdam dare vocationes, quæ prævidet futuras esse congruas, aliis verò quas prævidet futuras esse inefficaces; alter voluisse vnum, quàm aliud: nam vocationes congruas directè voluit & ordinauit, quatenus verò incongrue sunt, non illas voluit, nec procurauit, sed tantum

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

permittit, quia oculi eius mundi sunt, ne videant malum, seu defectum, vique volendo, vel applicando, sed tantum permittendo: nemini autem occasionem præbendo, vt in vacuū gratiam recipiant, seu relinquendo illam, seu non auferendo, sed liberum, ac contingentem cursum causarum permittendo, quia nec tenetur causarum ordinem immutare, nec abundantiora auxilia præbere quàm necessaria sint. Nec etiam debuit auxilia sufficientia denegare his, quos videbat male illis esse vfuros, quia illa erant necessaria ad liberum vsum voluntatis, & vt defectus salutis talium hominum non posset Deo imputari. Itaque illa distributio auxiliorum in quibusdam ostendit singularem Dei gratiam, & beneuolentiam, in aliis verò iustitiam, in vtrisque verò mirabilem prouidentiam, quæ non excusat eorum hominum negligentiam, qui sufficienti auxilio cooperari contempserunt. Et ideo licet verum sit, cui Deus non donat efficaciam, seu congruum auxilium, libera voluntate non dare, non inde sequitur Deum esse causam, cur auxilium sit inefficax, sed solum sequitur præuidisse Deum, ex voluntate hominis futurum fuisse, vt non habeat effectum, & nihilominus voluisse illud dare, permittendo illum defectum, & noluisse alium dare, quod præsciebat habiturum fuisse effectum, quæ sunt inscrutabilia iudicia Dei, quæ Augustinus vtrique scrutari non audeat, sed admirari.

Atque hoc vno verbo responsum est ad testimonium in contrarium inducta, in primo enim loco ex quaest. 2. ad Simplician. de hac distributione vocationum congruæ, vel incongruæ apertè loquitur, & monia PP. illam refert in diuinam voluntatem, & liberam electionem, quod verissimum est modo declarato. Et huic sensui congruunt cætera, quæ ibi Augustinus disputat. Cum autem dicit, ad quosdam peruenire vocationem, quæ talis est, qua moueri non possent, qui ei capiendæ non reperiuntur idonei, secundum præscientiam dictum est, non secundum intrinsecam incongruitatem vocationis, nec secundum intrinsecam impotentiam voluntatis ad operandum cum tali vocatione: nam re vera, simpliciter, & (vt aiunt) in sensu diuiso, potuissent sic vocari venire, & vocationi sese accommodare cum gratia Dei cooperante, quæ illis præstè fuisset, si per eos non steteret, vt satis in cap. 2. 3. & 4. probatum est. Tamen quia Deus talem vocationem illis hominibus dare voluit, præsciens illos non fuisse consentaneos vocationi, ideo dicitur data illis vatio, quæ in sensu composito moueri non possent, seu clarius, quæ ita possent vt de facto non essent bene illa potestate vsuri. Eodemq; modo tali vocationi capiendæ non erant idonei secundum præscientiam, aut secundum futurum vsum, non secundum absolutam capacitatem, & potestatem, & hanc esse Augustini mentem, ex dicendis in sequenti testimonio apertius ostendetur.

Eandem interpretationem habet alter locus de prædest. Sancti. Augustinus enim ibi non dicit Deū, alij loci s. non omnes quos docet, ita docere vt possint venire ad Christum, sed dicit, non omnes ita docere vt veniant, quod verissimum est, etiam si primum sit falsum absolutè, & in sensu diuiso loquendo, vt explicatum est, dicit præterea cum posset Deus omnes ita docere, vt venirent, id est, efficaciter, seu congruè vocare, nolle id facere, idq; vnum esse ex occultis mysterijs Dei, in quo & misericordia in quibusdam & in alijs iudicium ostenditur. Vnde cum ait, quos autem non docet iudicio, non docet, intelligendus est, quos sic non docet, id est, ita vt veniant, nam alio quidem modo etiam eos docet sufficienter vt venire possint, & veniant si velint, iudicium verò, seu mysterium est, quod non aliter eos docet, etiam possit, nec inde sequitur inefficaciam talis doctrinæ Dei ex

Dei

X 2

Dei ordinatione prouenire, sed ex permissione tantum, ut explicatum est, & simili modo limitandum est quod dicit, cum Prædicatore insonante aliqui non credunt, eos foris audire, intus non audire, nec discere, id est, non ita interius audire ut discant: nam quod interius etiam aliquo modo audiant, necessarium dicendum est ut auxilium sufficiens recipiant, iuxta dicta in cap. 2.

Quomodo credere potuissent, qui relictis sunt.

Tertium denique testimonium eodem fere modo facile declaratur. Sed in primis notandus est ille modus loquendi Augustini de Tyris & Sidoniis, Relicti sunt qui etiam credere potuissent. Nam sensus est, relictos esse qui credidissent, si talia signa vidissent, hoc enim affirmavit Christus in verbis proximè sequentibus; loquitur enim Augustinus per verbum potuissent, vel intelligendo potestatem in actum reducendum, vel intelligendo etiam secundum præscientiam, quæ futurum effectum includit, & ita constat hanc esse phrasim Augustini, ut in primo testimonio interpretati sumus, quam sumpsit ex simili loquendi modo Christi Domini, cuius verba ibidem allegat, qui de Iudæis dixit, Propterea non poterat credere, quia de illis dixit Iſaías: Excaca cor populi huius, &c. Ioan. 12. propterea enim non poterant quod volebant, ut ibi ait Chrysostomus, & Prosper ad obiectiones Vincent. in 6. tamen quia Deus illam voluntatem eorum præciebat, ideo in sensu composito non poterant, & sic etiam non erunt obsequia verba Augustini, quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent & negatum; aut enim non esse eis datum credere secundum prædestinationem diuinam, (nam hæc etiam est, visitata locutio Augustini:) supponit autem Augustinus efficacia auxilia ad exequenda media prædestinationis ab electione diuina descendere, seu à proposito, ut loqui etiam solet Augustinus; & ideo ait, quod eis non eligit ad salutem, vel ad fidem, etiam non dedisse eis unde crederent; non quia eis negauerit unde possint credere, nec quia aliquid ex parte sua negauit, ratione cuius non sunt vñ illa potestate, nec crediderunt, sed quia negauit illis, vel dare noluit etiam vocationem, quæ de facto crederent, quam ipse non ignorabat, & dare potuisset, & eundem sensum habent vltima verba, ut facile consideranti patebit.

Quando idem dicit aliqui b. non esse datum, ut crederent, secundum diuinam præscientiam.

CAPVT VII.

Virum auxilium sufficiens detur interdum prædestinatis, vel solis reprobis.

Hactenus explicuimus, quid sit auxilium sufficiens, & quas spirituales vires, quæve auxilia includat; nunc superest videndum, quibus & quomodo detur. Omnium autem hominum multitudo (idemque est de Angelis) in duas classes prædestinatorum & reproborum distinguitur, quæ partitio sumitur per diuersum ordinem ad consequutionem vltimæ beatitudinis, ad quam etiam hæc auxilia ordinantur, ideoq; in primis per cooperationem ad illa duo membra explicandum à nobis est, quibus detur auxilium sufficiens, & in præsentibus duo inquiruntur, vnum an reprobis detur, aliud an detur prædestinatis, vel sit proprium reproborum saltem quoad illum modum quo dici solet proprium, quod alicui soli conuenit, & in priori quidem puncto hæretici huius temporis negant dari auxilium sufficiens reprobis, sed tantum electis, & pro eadem sententia refertur Cosmas Philar. quæst. singulari de prædest. cap. 22. & videtur favere Iſidorus lib. 2. sentent. cap. 5. §. spiritualis; aut enim spirituale auxilium solis electis dari; ratione idem

1. Status questionis.

2. Hæretici negant dari auxilium sufficiens

suaderi potest, quia reprobis vel non datur sufficiens gratia, ut ad fidem veram conuertantur, vel saltem non datur ut credentes iustificentur, vel denique non datur ut semel iustificati vique ad finem in iustitia perseuerent: ergo simpliciter non datur eis auxilium sufficiens ad salutem. Consequentia evidens est, quia sine fide, iustitia, & perseuerantia in illa saluari non possunt.

Antecedens quoad primam partem probatur, quia credere non possunt nisi trahantur à Deo, dicente Christo Domino, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Venire autem est credere, dicente eodem Domino, Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. ut ibi, & sæpe aliàs Augustinus exponit, & multi reprobi non trahuntur à Patre, ad Christum per fidem, ut experientia docet; ergo illi non possunt credere; ergo non accipiunt auxilium sufficiens ad credendum, nam auxilium sufficiens dari posse, ut diximus, idemq; argumentum de secundo membro fieri potest, quia fides non potest venire ad Christum per solam fidem, nisi trahatur, ita nec potest venire per fidem viuam, seu per vitæ fidei, quæ est charitas, seu per fidem, quæ per dilectionem operatur, nisi etiam trahatur, nam quod Christus idem dixit, hoc est opus Dei, ut credat in ipsum, non minus de fide viuâ, quam de sola substantia fidei veru est: at vero multi credentes non trahuntur ut diligant; ergo nec ipsi credentes, si reprobi sint, accipiunt auxilium sufficiens ad amandum, & consequenter nec ut iustitiam consequantur. Denique tertia pars probatur, quia nemo potest perseuerare sine speciali perseuerantia dono; sed hoc non datur reprobis: ergo non possunt perseuerare; ergo non recipiunt auxilium sufficiens ad perseuerandum.

In contrarium autem videtur hoc auxilium sufficiens ita esse proprium reprobis, ut in prædestinatis locum non habeat, nec illis detur, quia auxilium sufficiens, prout distinguitur ab efficaci, (hic enim de illo agimus,) tale est, ut non consequatur salutis effectum: sed prædestinatis non datur tale auxilium, sed illud quo comparatur certissimè salutis effectus; ergo, minor patet ex definitione prædestinationis tradita ab Augustino I. de bonor. per. & per. cap. 14. Prædestinatio est præscientia, & preparatio vñ futurorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Beneficia ergo & auxilia prædestinatorum semper sunt efficacia; ergo illis non datur auxilium sufficiens; ergo necessarium datur reprobis; alias nullis darentur, & solis illis, quia omnes non prædestinati, sunt reprobi. Et confirmatur ex Paulo ad Roman. 8. dicente, scimus autem, quoniam diligenter Deum omnia cooperantur in bonum istis, qui secundum propositum vocati sunt Sanctis, qui sine dubio sunt prædestinati: nam illos elegit Deus, ut essent Sancti, & immutati in conspectu eius in charitate, ad Ephes. 1. & Augustinus sæpissimè exponit. Ergo, teste Paulo prædestinatis omnia cooperantur in bonum: omnia ergo media salutis, ac subinde omnia auxilia sunt in illis efficacia quia sunt illis ad salutem utilia, hoc est enim cooperari illis in bonum, & rationem infinitat Paulus, quia secundum propositum (vique Dei) vocati sunt, id est, ex absoluto decreto quod Deus habuit de illorum sanctificatione perpetua, ex quo proposito non oriuntur nisi media & auxilia efficacia. Vnde sumpsit Augustinus modum illum loquendi in illo frequentissimum de vocatione ex proposito, quam dicit esse efficacem & propriam electorum, ut in sequenti lib. videbimus, ac denique significatur à Paulo in verbis sequentibus. Nam quos præsciuit, hos & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui: quos autem prædestinavit, hos & vocavit, vique ex proposito: quos autem vocavit, hos & iustificavit, ac subinde efficaciter vocavit. quos autem iustificavit, hos & glorificavit, dando scilicet illis efficacia media ad perseverantiam.